

confirmari videtur, spiritus potentia stabit contra impios, & tanquam procella seu turbo venti iactabit eos, Sap. 5. 24. Sic dictum est, quod spiritus DEI malus Saulis spiritum affligeret; 1. Sam. 16. Et alibi, spiritus potentia DEI ventilans, & iustitia persequens iniustos Sap. 11. Denique Quicquid agit aut patitur homo vel aliqua alia creatura, illud omne per ventum & à vento patitur, similiter à spiritu illo vitæ salubriter patitur, à quatuor ventis voluntas diuina exiliens, iuxta illud prophetæ: A quatuor ventis adueni o spiritus, & per-suffla interfectos istos vt uiuant, Ezech. 37. 9. vnde liquet, quod ipse vitæ spiritus sit etiam ex 4. Ventis cardinalibus, qui & complexionem & dispositionem habet ab angelo, tunc temporis dominium in cælo habente, est enim aer vniuersalis mundi Mercurius, mutans formalem suam conditionem pro ratione angeli seu stellæ erraticæ, in regione cælesti prædominantis. Sed de his magis exuberanter in causis meteora efficientibus, permissione & aspiratione spiritus Elohim, seu venti primarii, disceptabimus.

CAP. VI.

De ventorum Macrocosmicorum generibus & primum de ventis Cardinalibus.

Ventorum Macrocosmicorum duo sunt genera. Cum alij sint	}	Cardinales qui numero sunt quatuor videlicet	Boreas, flans à polo tam cæli quam terræ Septentrionali.
			Auster, spirans à polo tam cæli quam terræ Meridionali.
			Subsolanus, exiliens ab orientali cæli & terræ æquinoctio.
			Fauonius, flans ab occidentali tam cæli quam terræ æquinoctio.
		Collaterales. Vide G.	

Veteres ex his ventorum generibus Cardinales solummodo cognouerunt, sen potius respexerunt, vtpote quod à qualibet distincta mundi plaga seu quarta flare soleant, in cuius potestate & denominatione omnes illi collaterales dicti continebantur. Cardinales ergo, principales, & primarij sunt dicti, tum ab officiis ab inuicem variantibus, quippe quorum quilibet flatum, situ & conditione inter se diuersum spirare animaduertitur, tum à situ & positione, quemadmodum infra suo loco ostendemus: Numerus autem cardinalis est quaternarius, secundum quatuor mundi plagas, à quibus flatus suos emittere obseruantur. Nam Boreas à polo arctico, videlicet à septem stellis septentrionalibus locum & dominiū habet; vnde & Austro seu Noto omnino cum loco tum natura est contrarius; Vice versa Auster à polo Meridionali spirare dicitur, qui itidem naturæ seu conditioni & situi Boreæ opponitur. Subsolanus ab orientali lineæ æquinoctialis puncto, vt & Fauonius directe à puncto occidentis ei contrario halitum suum expirare solet. Hoc quidem à Biblio totius veritatis confirmatum habemus. Nam in propheta Ieremia hæc inuenimus. *Inducam super Elam quatuor ventos à quatuor plagis cæli, & ventilabo eos in omnes ventos istos; Ier. 49. 36.* Et ex Apoc. *Vidi quatuor Angelos super quatuor angulos terræ, tenentes ventos terræ, ne flarent super tertiam, Apoc. 7. 1.* Et in Propheta Ezechiele, *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos. Ezech. 37.* Et in Propheta Daniele, *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, Dan. 7. atq; etiam in multis aliis locis.* In peculiari horū ventorum denominatione aliquantulum videntur scripturæ sacræ discrepare à modernis scriptoribus, nam quem hi Boream, illæ Aquilonem vocant, sic & horum subsolanus est illarum Eurus, qui generaliter accipitur pro omni vento ab oriente spirante: qui si magis versus Meridiem inclinatur, exprimat vim procellosam & furibundam vnde testatur Psalmista, *Euro tempestates maris excitari, Euro perfringis naues Oceani, Psal. 48. 8.* Et Iob. *Euro turbinem induxit more procellæ, Euro reduxit mare rubrum in siccitatem, Iob. 27. 2. Exod. 14. 21.* Si magis versus solstitium æstiuale, ei maiores caliditatis & siccitatis vires assignant, sic in Genesi inuenimus *Euro aduri fructus, Genes. 41.* atque etiam herbas desiccari, vt in Propheta Iona habetur. Si in sua media dispositione, *Euro dispergitur lux super terram & Euro apportauit Iehoua locustas, Iob. 38. & Exod. 10.* Sic & Aquilonem pro omni vento Septentrionali accipiunt, vbi dicitur à sapiente, *Aquilo pluuiam, Et, Aquilo producit frigus, Prou. 25. 31. Iob. 37. 9.* Et, *Surge Aquilo & c. veni Auster, perfla hortum meum, Cantic. 4.* Denique Fauonium, & omnes alios ventos illius mundi plagæ sub communi

communi